DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

TYPHO PETECHIALI.

3

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

TYPHO PETECHIALI;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO

GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

PETRUS DARANCETTE,

GALLUS,

UNIVERS. BURDIGAL. A. M. et S. Th. Bacc.

" *Pervenit ad miseros damno graviore colonos*
" *Pestis, et in magnæ dominatur mœnibus urbis.*"
Ovid. *Met.* Lib. vii. Fab. xxv.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT ADAMUS NEILL CUM SOCIIS.

M DCC XCVII.

VIRO OPTIMO,

JACOBO GREGORY M.D.

MEDICINÆ PRACTICÆ

IN

ACADEMIA EDINBURGENA

PROFESSORI;

LITERIS PARITER ATQUE VIRTUTIBUS

ORNATO;

HANC DISPUTATIONEM

ANIMO GRATO

ET

EA QUA DECET OBSERVANTIA,

D.D.Cque

PETRUS DARANCETTE.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

TYPHO PETECHIALI.

---

§ I. TYPHUS febrium pestilentium genus est, quod, ut CULLENO videtur, complures species continet. Quoniam verò nondum satìs constat, quibus notis hæ species possint inter se accuratè discriminari, et multæ varietatum, quæ incursant, videntur ex proprietatibus cœli, tempestatis, aut ægrorum

 corporum

corporum oriri * ; satius putavit hic auctor in duas duntaxat species, quæ notis satìs evidentibus internoscuntur, *petechialem* nempe et *icterodem*, dividere.

II. Harum (1.) specierum prima, de qua solâ paucis scribere nobis in animo est, præ signorum numero et gravitate, *mitior* a CULLENO, aut *gravior* appellatur. Quum verò hæ varietates naturâ et specie conveniant, neque nisi gravitate numeroque malorum differant, quibus hominum genus afficiunt, utrasque simul, licèt forsan compressiùs, quàm pro magnitudine, persequemur.

III. Febri, quam breviter agitare constituimus, uti facies, ita nomina, non constant. Quia enim in carceribus ubi tenentur malefici, et in valetudinariis quò confugiunt inopes hominum, ut publicè curentur, et opem a medicinæ

* Vid. CULLEN. *First Lines.*

cinæ professoribus gratuitò accipiant, sæpe ingeneratur, vel, aliunde importata, lethalior redditur, a quibusdam *febris carcerum* aut *valetudinariorum* nominatur. Aliàs, quia haud raro facit, ut humores eorum, quos invasit, minimè absint quin putrescant, *putrida* appellatur. Vocatur quoque *petechialis*, quando, præ ejus magnitudine, summa ægrorum cutis maculis purpureis aut lividis variatur; vel lineis livescentibus purpurascentibusve, faciem exhibentibus vibicum, quibus dedecorantur terga maleficorum, qui virgis flagrove castigati sunt.

DEFINITIO.

DEFINITIO.

IV. *Typhus*, cujus febris, quam agitare statuimus, species est, a Culleno definitur.

" Morbus *contagiosus;* calor parum auctus ; " pulsus parvus, debilis, et plerumque fre- " quens ; urina parùm mutata ; sensorii func- " tiones plurimùm turbatæ ; vires multùm " imminutæ *."

Species verò, de qua scribimus, ab eodem auctore definitur, " Typhus plerumque cum " petechiis †."

SIGNA.

* Vid. Cullen. *Synops. Nosolog. Method.* tom. II. Gen. V.

† Vid. Cullen. *Oper. modò citat.* tom. II. Gen. V. Spec. I.

SIGNA.

V. Quamdiu pòst febris incessat, quàm tabo peſtilente, unde oritur, corpus inquinatum sit, prorsùs incertum est. Seriùs fortasse invadit ociùsve, prout tabum minore vi majoreve polleat. Hoc enim, ut testantur annales medicinæ, si vis ejus quomodocunque intenta multùm fuerit, efficit, ut febris non solùm protinus consequatur, sed etiam, momento ferè horæ, vitam extinguat.

VI. Interdum, unum antè alterumve diem, quàm febris palam invadit, homo sensim minùs valet, minùsque: cibos fastidit, vel assumptos malè concoquit: animo pigrescit, pigrescit corpore: modò levi et fugace horrore perstringitur; modò leni perfunditur calore.

VII. Incipiente febre, æger omnibus membris languescit, lassescitque, tanquam gravi exercitatione fatigatus: supra consuetudinem, frigescit, vicissimque calescit: cum difficultate spirat: de præcordiorum gravitate conqueritur: cibos faſtidit et aversatur; atque interdum pituitam nullius saporis, vel quædam bile admixta, per os reddit: facie pallescit: capitis gravedine, vertigine, et dolore præsertim occipitis, vexatur: somno parùm recreatus et refectus, expergiscitur ad solita munera invalidus: urinam interea pallidam reddit; quæ mucidæ cerevisiæ speciem exhibet, neque sedimentum deponit: præ musculorum debilitate, irrequietus, corporis subinde situm variat; atque ægrè omnem ferè pariter fert positum: dolet ei dorsum; dolent lumbi: arteriæ solito incitatiùs moventur: lingua albescit, sed nondum siti torretur.

VIII.

VIII. Hæc (VII.) signa, appetente vespere, semper ingravescunt. Nox plerumque insomnis est; vel somnus, sicubi obrepserit, brevi discutitur, atque adeò non miserum reficit, ut vires dissipet.

IX. Paucos post dies, quintum plerumque sextumve, at aliquando tamen citiùs seriùsve, vis morbi multùm intenditur. Incalescit, imò interdum exardescit, totum corpus: arteriæ duriùs, exiliùs, et magis inordinatè moventur: circa tempora, contra consuetudinem, intentæ arteriæ moventur: fugiunt brevi vires: marcet animus: redundat, et omnes cibos fastidit, æger ventriculus; atque haud rarò bilem viridem aut subnigram evomit: lingua atque fauces insedabili siti torrentur: pleni, hebetes, sufflavique oculi, haud rarò inflammatione capiuntur: caput, maximè tempora, gravissimè dolet; dolet etiam dorsum; dolent lumbi; majores ubique artus dolent.

X. Ingravescente morbo, luridus oris pallor est: plenæ sonoribus aures sunt: arteriæ temporum adhuc vehementiùs agitantur, dum eæ carpi exiliter, neque solito celeriùs, micant: spiritus difficilè trahitur et emittitur: ex imo pectore crebra ducuntur suspiria: graviter plerumque fœtet anima*.

XI. Ubi morbus eò (x.) pervenit gravitatis, mens neque, ex toto, alienatur, neque, ex toto. constat: arteriarum ictus crebriores et imbecilliores sunt: dorsum, artus, et scrobiculus ipse cordis, gravissimè dolent: magna præcordiorum gravitas est: lingua, initio, plerumque mollis et humida, et muco albido oblita, nunc arescit, et lineis fuscis, quibus interjacent sulci, variatur; imò interdum, ubi maligna vis febris urget, interarescit, nigricat, atque incisuris plurimis in longitudinem pertinentibus exasperatur.

XII.

* Vid. Huxham. *On Pestilent. Fevers.*

XII. Aeger tandem mentis suæ non est; secum mussitat, aut alloquentibus delira fatur: lingua intremiscit; intremiscunt manus: vires labascunt et fugiunt: redundat dissolutus stomachus; atque bilem viridem, aut nigricantem, et pessimi odoris, suprà reddit: lingua ore prolata, ægrè reponitur; atque, præ ejus ariditate, voces hiulcæ fiunt et asperæ, sic ut, quid significent, astantes vix, sæpe ne vix quidem, possint intelligere.

XIII. Etiamnum urget inexplebilis sitis: summa cutis, tanquam ex formicatione, exæstuat: nonnunquam gravissimo et continente dolore urgetur alterutrum tempus, aut sinciput, aut imæ partes orbitarum quæ oculos continent. Siquando, hoc circiter tempore, lingua humida fit, et æger ore fusè salivat, scire licet, non periclitari. Sin æger devorare nequit; vel, inter devorandum, spiritus, tanquam propter angustias per quas evadit, sibi-

lum elidit, vel, tanquam spiritu intercluso, æger haud longè abest ut suffocetur ; salus in lubrico vertitur.

XIV. Primo morbo, auditus aliquando valde auctus est. Increscente verò, modò, quod inter bona indicia est, æger surdaster fit ; modò, quod mali morbi testimonium est, præ torpore sensuum, nec auribus sonos, nec oculis lucem, percipit.

XV. 1. Quarto ferè die quintove ab initio febris, at interdum non ante quartumdecimum, summa cutis, maximè ea pectoris et dorsi, sæpe, at non semper, formicat ; atque lenticulis efflorescit, quæ neque ex cute eminent, neque nisi emissitiis oculis conspicuæ sunt. Hæ modò rubicundæ sunt ; modò rubellæ ; modò, quod pejoris morbi est, lividæ ; modò, quod pessimi et vix non lethalis, purpureæ.

2. Has

2. Has lenticulas, *petechias* a medicis nominatas, PRINGELIUS, auctor gravis in primis et satìs fidus, et oculatus insuper testis, adeò accuratè descripsit, ut ipsius verba hìc ponere nobis liceat. "There is a certain eruption, "which is the frequent, but not inseparable "attendant of the fever. This is a petechial "efflorescence, which is sometimes of a brighter or paler red, at other times of a livid colour, but never rifes above the skin. The "spots are small, but generally so confluent, "that, at a little distance, the skin appears only somewhat redder than ordinary, as if the "colour were uniform; but, upon nearer inspection, there are interstices seen. For the "most part, this eruption is so little conspicuous, that, unless looked for attentively, it "may escape notice. The spots appear thickest on the breast and the back, less on the "legs and arms; and I do not remember to "have observed any upon the face. I have

sometimes

"sometimes seen them as early as the fourth, "or fifth day, and, at other times, as late as "the fourteenth. They are never critical, nor "are they to be reckoned among the mortal "symptoms, but only concur with other signs "to ascertain the nature of the disease. The "nearer they approach to a purple, the more "they are to be dreaded. In a few cases, "instead of spots, I have observed purple "streaks and blotches, which perhaps are still "a worse symptom. The *petechiæ* will some- "times not appear till after death *.

XVI. Inter undecimum febris diem, quartumve et decimum, haud raró, si æger multùm sudaverit, evanescentibus *petechiis*, at signis tamen plerumque nihildum melioribus, in cute

* Vid. PRINGEL. *Observations on the Diseases of the Army*, part. III. cap. VII. § 2.

cute oriuntur papulæ plurimæ exiguissimæ, quæ, ex milii seminum similitudine, MILIARIÆ appellantur.

XVII. Sub finem *typhi gravioris*, qui periculum vitæ denunciat, summa cutis, sicuti in eam flagello sæviretur, lineis lividis aut purpureis, quas *vibices* appellant medici, variatur.

XVIII. Fauces, porrò, sub finem *typhi* maligni, et lingua quoque, *aphthis* deturpantur; quæ non solùm gravem dolorem movent, sed etiam committunt, ut æger vix, imò sæpe ne vix quidem, devorare possit. Alvus tandem ipsa, uti videtur, *aphthis* afficitur, atque infrà transmittit cruenta quædam, iis similia quæ a dysentericis dejiciuntur.

XIX. Tandem, viribus dissipatis, ultima venit dies; ineluctabile venit tempus, quo

omnia

omnia præsentem mortem intentant. Fœtet, friget spiritus; fœtent alvus et urina; fœtet frigidus gelidusve, quo manat cutis, sudor: hinc illinc effluit sanguis, væ! non diutius vitalis: ungues pallent et livent: arteriæ ictibus formicantibus, quos vix, imò ne vix quidem, numerare potest medicus, moventur: nervi, maximè manuum et pedum, singultant: diutius devorare nequit æger; diutius eheu! nequit audire et videre; vel, si ei misero quæ visûs reliquiæ remanent, in veste floccos legit, fimbriasve diducit, vel in adjuncto pariete, si qua minuta eminent, carpit, vel offusas oculis tenebras videre videtur: capite ex pulvino levato, anima deficit: voluntatis injussu excernuntur fæces et urina: frigent extrema membra; friget dein cæterum corpus: dissolvitur natura: dissociantur spiritus et corpus: actum est; fletur; putrescit exanime corpus.

XX.

XX. Febris, de qua scribimus, certo haudquaquam tempore finitur. Plerumque quidem ad alterutrum finem pervenit intra septimum diem et vigesimum. Verùm interdum tamen, ante vel septimum exactum, alterutrâ sorte finitur. Nonnunquam, et in quatuor hebdomadas protracta, ægri vitæ pepercit. Ex quo tempore arteriæ concidere inceperint, donicum alterutrâ sorte finiatur, minùs, sicut a PRINGELIO accipimus, quàm ulla alia febris, in dies variatur.

XXI. Haud raró, quando in longum tempus porrecta est, inflammatione et suppuratione glandularum discutitur, quæ, prope aures, vel in axillis, ponuntur. Quocirca, quoties, porrectâ in longum febre, hæ glandulæ non suppurant, vero, ut PRINGELIO videtur, haud absimile est, suppurationem cujuspiam partis internæ impedire, ne illa discutiatur.

tur *. Interdum, eodem auctore teste, *typhus* ex suppuratione glandularum incipit. Cujusdam etenim, cæteroquin sani, glandulæ prope utramque aurem intumescebant. Homo, quid rei esset, ignarus, cataplasmata, quæ tumores digererent, superimposuit; et, quod imprimis mirabile est, subsidentibus tumoribus, febre malignâ correptus est †.

XXII. Qui ex febre, quam persequimur, revaluerint, eorum multi artuum doloribus aliquandiu vexantur, et insomnes noctes ducunt. Ferme omnes animo aliquantisper imbecilles sunt, atque tinnitu aurium et vertigine afficiuntur. Imò haud pauci, quibus, salvâ

* Vid. Pringel. *Observations on the Diseases of the Army*, part. III. cap. 7.

† Vid. Pringel. *Oper. ejusd.* part. III. cap. 7.

salvâ nave, in portum perventum est, per aliquot postea menses fatui sunt; neque priùs his sanescit mens, quàm curaturâ et medicinâ corpus ad pristinam ferè sanitatem perductum est.

DIAGNOSIS.

XXIII. Signis, quæ (v.—xxii.) recensuimus, cognitis et memoriâ retentis, *typhum petechialem* aliis morbis dignoscere, haud difficile erit. Etenim vix ullus est, cui cum hoc tanta intercedit similitudo, quanta errorem creet. Cùm verò, in hujusmodi disputatione, neque abesse quicquam deceat, neque redundare, quomodo a *typho petechiali* internoscantur alii morbi, quibus cum eo quorundam signorum similitudo est, quàm paucissimis expediemus. Morbi autem, ad quos respicimus, sunt *SYNOCHUS, FEBRIS PUERPERARUM, CATARRHUS PESTILENS,* et *TYPHUS ICTERODES.*

XXIV. *Synochus.*—Medici, haud ita pridem, multum, *typho petechiali synochum* dignoscendo, operæ

operæ ponebant. Neque mirum eſt, eos operam perdidisse ; cùm præsertim, hanc febrem illius duntaxat varietatem esse, quam movit non tabum pestilens speciale, sed quædam tempestatis, aut regionis, aut ægri proprietas, inter medicos vel peritissimos consentiatur.

XXV. *Febri puerperarum—et typho petechiali*, quædam signorum communitas est ; et, quibus notis certò internoscantur, exponere, medici quidam summâ ope conati sunt. At conamina utique hæc infructuosa fuerunt et inutilia ; eòque magis, quòd illi morborum contrà atque huic, solæ mulieres, et hæ quidem puerperæ, obnoxiæ sunt. Neque profectò flocci interest, utrúm, necne, distinguantur ; cùm præsertim, ut a Whitio, Mancuniensi, accipimus, his febribus non major signorum, quàm remediorum, communitas intercedat.

XXVI.

XXVI. *Catarrho pestilenti*,—qualis, anno, post Christum natum, millesimo septingentesimo octogesimo nono et sequente, in America, a Bostonia ad Carolopolin usque, evagatus est, tanta signorum communitas erat cum *typho petechiali*, ut, utro duorum implicarentur ægri, medici vel peritissimi discernere vix possent.

XXVII. Sed, Cummino teste, inter hos morbos hoc interest, quòd *catarrho pestilente* implicitis, aliter atque iis *typho petechiali*, palpebræ, contra consuetudinem, rigidæ sunt; atque, nisi sanguine primo quoque tempore misso, ne accidat, provideatur, paulò post initium morbi, admodum concidunt arteriæ *.

XXVIII.

* Vid. Carol. Minor. Disput. Medic. Inaug. *De Typho*, Edin. ann. M,DCC,XCIII. pag. 18. et 19.

XXVIII. *Typho*, denique, *icterodi*,—qui, anno redemptæ hominum salutis millesimo septingentesimo nonagesimo tertio, Philadelphiæ, celeberrimæ Americæ Septentrionalis urbis, incolas raros fecit, atque, per complures annos, in occidui semiorbis insulis, plurima capitum millia orco demisit, multa cum *typho petechiali graviore* communia sunt. Verùm satìs tamen, ut nobis videtur, eo dignoscuntur, quòd illi, contrà atque huic, proprium est, efficere, ut summum ubique corpus, contra consuetudinem, flavescat. Alia, porrò, quibus hi morbi, unus altero, distinguantur, Rushius literis mandavit *, sed quæ singulatim memorandi nobis tempus non est.

CAUSÆ

* Vid. Rush. *On the Bilious Yellow Fever.*

C A U S Æ.

XXIX. Propositis (XXIV.—XXVIII.) notis, quibus febris, quam persequimur, distingui potest a morbis, quibus cum ea communitas quorundam signorum est, nunc ad eam rei nostræ partem venimus, in qua, de causis, agendum erit.

XXX. In hac autem rei parte, nobis considerandum erit, tum in quo consistat proclivitas in hanc febrem, et quibus causis oriatur; tum qua causâ in proclivibus corporibus febris concitetur.

XXXI. *Proclivitas*—tam in *typhum petechialem*, quàm in cæteros morbos pestilentes, consistere videtur in debilitate corporis; præ qua,

qua, ex tabe qualibet pestilente admotâ non morbum modò faciliùs concipit, sed concepto quoque citiùs exhauritur.

XXXII. Causæ, cùm quibus rectà corpus, tum quibus haud rectà, debilitari potest, et sic aptum reddi, quod ex tabi pestilentis contagione in febrem incidat, numero plurimæ sunt.

XXXIII. 1. Illius (XXXII.) generis sunt inedia; ignavia; frigus corpori humefacto, aut inæqualiter vestito, aut in quo sanguis pigré movetur, admotum; animus mœroribus, et mordacibus solicitudinibus demissus et exesus; concubitus nimis frequens; sanguinis, denique, aut alvi profluvia.

2. Hoc (XXXII.) genere comprehenduntur, ea, quotquot sunt, quæ, justo vehementiùs diutiùsve stimulando, vires corporis dissipant et exhauriunt.

exhauriunt. Horum præcipua sunt exercitatio vehemens; magna vis caloris; ebrietas, ebriositasve; animus furore irâve percitus, vel gaudio, amore, aut religione perfusus; mens studiis nimis devincta; pervigilationes nocturnæ; et si qua similia.

XXXIV. *Causa excitans.*—Febris, de qua disputatur, haud secùs ac alii morbi pestilentes, tabo quodam speciali oritur. Hoc verò tabum haudquaquam perenne est; sed ipsum in locis, in quæ magna vis hominum congregatur, quæve perflatum non habent, scilicet, in carceribus et valetudinariis, maximè carcerariis navibus, et valetudinariis castrensibus classiariisve, identidem ingeneratur. Parentes, quibus in hujusmodi locis enasci videtur, sunt calor, humor, atque aër tum vivorum corporum, tum excrementorum, imò haud raro putrescentium cadaverum, exhalationibus corruptus.

XXXV. Tabes hinc (xxiv.) genita, licèt suâpte naturâ parùm diffusilis, tamen flabri, aut corpusculorum maximè laneorum gossipinorumve, quæ vi suâ penetravit, contagione longè eheu! latèque vulgatur.

XXXVI. Corpuscula ea, quæ implevit tabes, *fomites*, medicorum linguâ, appellantur; atque, quod in primis mirum est, tabes, dum in his delitescit, ultra ferè quod credibile est, vi intenditur, eò interdum usque, ut, momento ferè horæ, miserorum, qui ei objiciantur, vitam extinguat. "Quinetiam," ut appositè dixit READIUS, "horum interven-
"tu, haud rarò a mercatoribus aut viatoribus,
"qui ultrò ac citrò cum mercibus commeant,
"importatur in longinquas terras, apud qua-
"rum incolas gravis et mortifera grassatur *."

* Vid. JACOB. BOND. READ. Dissertat. Medic. Inaug. *De Typho.* § XLVI. LUGDUN. BATAV. ann. M,DCC,XCV.

XXXVII. Tabum, quo oritur *typhus petechialis*, licèt multigenis parentibus ipsum progigni videatur, unigenum tamen esse, verisimillimum est. Sive enim exhalationibus vivorum corporum in naves, carceres, valetudinarià, arctave tecta, confertorum, sive excrementorum, sive cadaverum, aëra inquinantibus, progeneretur; febres tamen specie convenientes, licèt, diversis temporibus regionibus et ægris, gradu diversas, concitat.

XXXVIII. Qua viâ in corpus invehatur tabum, unde oriatur *typhus petechialis*, de ea, tres in partes, a medicis disputatum est. In pulmones, ut quibusdam videtur, unà cum spiritu hauritur, atque ex horum spiramentis a vasis bibulis absorptum, et in circumfluum sanguinem delatum, cerebrum primùm et nervos, deinde vasa quibus in circuitum movetur sanguis, malè afficit. Nonnulli, contrà, contendunt, viâ bibulorum vasorum, quorum oscula

cula in summam cutem inhiant, in irrequietum sanguinem intromissum, vi suâ corpus penetrare. Quibusdam, denique, placet, unà cum saliva devorari in ventriculm; et dein partim interventu circumflui sanguinis, in quem pòst paulò a vasis absorbentibus defertur, partim miro consensu et communitate, quæ, intermediis cerebro et nervis, ei est cum cætero corpore, totum hominem magna debilitate afficere.

XXXIX. Iis auctoribus, quibus proxima (XXXVIII.) opinio placet, assentiri propterea malumus: quòd, ipso *typhi petechialis* initio, ventriculus non cibos modò nauseat, sed contenta quoque rejicit; simulque æger vertigine et capitis dolore afficitur, quæ, ut docet experientia, ex ægro ventriculo oriri solent: quòd vertigo et capitis dolor levantur vomitu, sive qui sponte accesserit, sive quem vomitoria moverint: et, denique, quòd hominum tabo, quo

enascitur

enascitur hæc febris, objectorum, qui res mandunt quæ salivam moveant, vel aptas adhibent quæ confirment ventriculum, ii haud rarò incolumes effugiunt; dum ii, qui hæc neglexerunt, vel nihili habuerunt, febre correpti sunt.

XL. Quemadmodum intromissum tabum corpus afficiat, medicis nondum satìs innotuit. Accedimus autem ad sententiam CULLENI, qui homines, quos suâ vi penetravit, mirum in modum debilitare existimat.

PROGNOSIS.

PROGNOSIS.

XLI. Cùm de causis, tam iis (XXXIII.) quæ aptos homines faciunt, qui in *typhum petechialem* incidant, tam eâ (XXXIV.—XL.) quæ in aptis morbum excitat, dictum sit; sequitur, ut notas explicemus, quæ vel spem, vel periculum, ostendant.

XLII. *Bona signa.*—Ubi *typhus petechialis* aliquem occupat, plerumque, sicut a Pringelio accipimus, scire licet, non periclitari, si leve tantùm delirium est, neque vires multùm labefactatæ sunt. Bonum quoque est, ubi, inclinato morbo, urina turbida est, et corpus æqualiter totum leni sudore manat; aut ubi tunc cutis æqualiter tota et lingua humescunt; aut ubi tunc, post biliosa quædam infrà transmissa,

missa, naturalis cutis halitus oritur. Arteriæ quoque, quæ vino aliisve jucundè stimulantibus validiùs moventur, et consequuntur ut stupor, tremores, aliaque nervorum mala remittant, securitatem pollicentur. Gravitas auditûs etiam inter bona indicia est Urina verò, in qua quædam subsidunt, nisi alia simul spe consolentur, ægrum ex periculo tutum esse non certò ostendit; neque, contrà, urina, quæ habet nulla subsidentia, semper terrere debet *.

XLIII. " In portu navigat, cujus arteriæ " ordinatè moventur; cujus vultus et oculi " naturales sunt; qui clarâ et distinctâ voce " loquitur; qui, nullo adjutante, se, quoties ve- " lit, ex uno in alterum latus potest movere; " qui

* Vid. Pringel. *Observations on the Diseases of the Army*, part. III. cap. VII. § 3.

"qui cibum appetit; qui somnum recreantem capit *."

XLIV. *Mala signa.*—Contrà, ut testatur PRINGELIUS, gravis morbi periculum est, ubi nervos singultus corripit; ubi oculi admodum inflammati in eodem obtutu hærent; ubi alieno sono voces præcipitat æger; ubi, mente alienatus, furit, et continuâ vigiliâ premitur. Neque verò bonum signum est, ventriculum redundare, et frequenter evomere. Mali etiam morbi testimonium est, alvum sic frequenter fluere, ut arteriæ submittant se, et mens animi adhuc magis perturbetur †.

XLV. Servari vix potest æger, cujus fæces, voluntatis injussu, excernuntur; cujus extremæ partes frigescunt; cui lingua intremiscit. In

* Vide JACOB. BOND. RAED. Dissertat. Medic. Inaug. *De Typho.* § xxxii. 2. LUGDUN. BATAV. ann. M,DCC,XCV.

† Vid. PRINGEL. ibid.

In lubrico versatur, cujus oculi lumen non percipiunt; qui devorare vix poteſt; quive jussus, ore linguam proferre nequit. Mors denunciatur, ubi æger supinus cubat, eique genua contracta sunt; ubi, nescius quid faciat, brachiis inæqualiter dispersis pectus nudat, vel insurgere identidem aggreditur. In præcipiti verò jam esse denunciant liquida, saniosa, pessimi odoris, ægro nesciente, dejecta; quippe cùm testentur, intestina jam gangrænâ correpta esse, atque mortem in eo esse, ut totius corporis potiatur *.

CURATIO.

* Vid. Pringel. *Observations on the Diseases of the Army*, part. III. cap. 7. § 3.

CURATIO.

XLVI. Cæteris rei nostræ partibus absolutis, tantùm restat, ut paucis exponamus, qua ratione æger ad sanitatem perducatur.

XLVII. Hunc (XLVI.) in finem, oportet medicum, si tempestivè advocatus fuerit, incipientem febrem abigere; sin minùs, submovendo irritamenta, atque providendo ne fatiscant vires, et putrescant humores, dare summam operam, ut febris ad sanitatem perveniat.

XLVIII. *Primo* (XLVII.) *consilio*—oportet medicum quamprimum idoneis vomitoriis ventriculum contentis alimentis et corrupto forsan succo *gastrico* vacuefacere; deinde alvum idoneis catharticis movere, vel, quod fortasse

satius est, emollientibus subter datis ducere; tum, his factis, datis anodynis somnificis irritabilitatem utcunque ortam hebetare, somnumque conciliare. Hujusmodi curatione, simulque vires corporis fovendo, febres incipientes plerumque interrumpi possunt.

XLIX. *Consilium* (XLVII.) *secundum.*—Præcipua irritamenta, ex quibus febrientes detrimentum capiunt, sunt *calor, sitis, cruditas,* et *fæces* alvo diutius solitò contentæ.

L. Calor temperandus est aëre puro frigiduloque, per apertas fenestras intromisso, atque potulentis refrigerantibus. Sedanda sitis est diluentibus liquoribus, quos acidulos admixtus succus malorum aureorum citreorumve reddiderit. Submovenda cruditas vel leni vomitione subinde motâ, vel diluentibus

et

et acidis. Expellendæ retentæ fæces sunt, alvum idoneis medicamentis movendo aut ducendo.

LI. Provideatur, ne fatiscant vires, roborantibus, scilicet frigidulo puroque aëre, per fenestras apertas, in cubiculum intromisso, lavatione frigida, *cinchonæ* cortice; atque stimulantibus, nempe vino, exulceratione, opio, *camphora*, *moscho*, et *ammonia*.

LII. Efficacissima, quibus præcaveri potest, ne putrescant humores, sunt *cinchonæ* cortex, vinum, et acida. De his verò singulatim et fusè dicere, non opus est.

F I N I S.

C O R R I G E N D U M.

§ XXXV. lin. 1. *pro* (XXIV.) *lege* (XXXIV.)